quamvis rem arcanam.

XXX. *Poſito uno modo conſiderandi non tollitur alter ipſi ſubordinatus.* Sic v.g. in ſacramentis promiſſio conſideratur ut cauſa efficiens ſacramenti ex parte Dei; & ut effectus ex parte noſtra, quatenus promiſſio illa nobis obſignatur.

XXXI. *Poſitâ oblatione & perceptione rei ſacramenti extra ſacramentum, non tollitur oblatio & perceptio ejusdem in ſacramento.* Sic etſi credentibus extra communionem ſacramentalem verè & ſpiritualiter res ſignata confertur in verbo: non tamen ideo fruſtra ſunt ſacramenta. Nam Deus conjunxit uſum verbi & ſacramentorum.

XXXII. *Ex neceſſitate ſacramentorum, quæ eſt ratione præcepti & medii, non rectè colligitur neceſſitas efficientiæ, ſive abſoluta.* Vide cap. 27. reg. 7.

Caput XXX.

De Sacramentis V.T.

I. A *Sacramentis V.T. ad ſacramenta N.T. valet argumentum, quantum attinet ad nucleum.* Nam ita conveniunt inter ſeſe. Sed alia eſt ratio rituum, numeri, modi ſignificandi, perſpicuitatis, facilitatis, & aliarum circumſtantiarum. Cùm enim in his poſita ſit differentia ſacramentomento-